



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

Illvstrivm Miracvlorvm Et Historiarvm Memorabilivm Lib. XII

Caesarius <Heisterbacensis>

Antverpiae, 1605

De peregrinis, qui propter peccata vnius hominis in mari periclitati,
eiusdem confessione sunt liberati, cap. 21

urn:nbn:de:hbz:466:1-13177

hominis, & iuste iudica illum : sicque ob vocem propheticam reus vita priuatus est. Fortè iste contritus decessit, & si superuixisset, deterior factus, mortem æternam incurrisset, sicut suprâ legitur de hæretico Straesburgensi, per confessionem sanato & recidiuo. APOLLONIVS : Placet quod dicis. CÆSARIVS : Confessio summum remedium est in periculis, etiam in mari longè.

CAPVT XXI.

Peregrini quidam, sicut magister Ioannes Xantèsis populo recitauit, in suis stationib. crucem prædicans, cum tempore quodam transfretarent in succursum terræ sanctæ, orta est eis in mari tempestas tam valida, vt naus ipsa operiretur fluctibus. Fremebant venti, excitabantur fluctus turbulenti, nutabant viri fortissimi, spes omnis nautarum defecit; videntes ante oculos mortem, cœperunt singuli, vnusquisque sibi vicino de peccatis suis facere confessionē, & meritò : nam propter vnus hominis peccata: Dominus eandem excitauerat tempestatem: erat enim in nauē illa homo quidam miserrimus, homo fœtidissimus, cuius peccata fuere tam graua, tam turpia, tam horrenda, tam in quantitate quam in qualitate, vt nec ipsum mare pondus illorum posset portare. Cum natura eius sit, ejicere immunditias quasilibet corporales, quomodo æquanimiter sustineret tantas immunditias spirituales, id est, peccata creatori suo contraria? Timens homo ille peccator vitæ suæ, simul & animæ, & propter se omnes alios periclitari cōsiderās, surrexit & ait: Audite fratres, audite, propter peccata mea tēpestas hæc orta est, ego occasio sum tanti periculi, rogo vt audiatis confessionē meam. Tacentibus omnibus, cœpit voce valida tantū venenū peccatorū euomere, vt aures humanæ etiā horrerent audire. Mira clementia Dei, mox vt malsā iniquitatis per cōfessionē eiecit, mare furens siluit, & facta est tranquillitas magna, ita vt omnes mirarētur: Miris mirāda succedunt, statim vt naus ad littus peruenit, audita peccata Deus de memoriis singulorum deleuit. Bene per-

misit, vt quàm diu erant in naui conclusi, confundere-
retur in aspectu illorum; & ne exeuntes fortè eius pec-
cata propalarent vel improparent, induxit eis ob-
liuionem: Bene retinuerunt se in mari fuisse periclitat-
tos; hominem aliquid fuisse confessum, sed quid di-
xisset, prorsus ignorauerunt. Et hoc ipsum didicit ex-
perimento. APOLLONIVS: Valdè lætificat ista, sed mi-
rum videtur, quòd ob vnus hominis peccata Domi-
nus tantam turbauit multitudinem. CÆSARIVS: Le-
gitur propter inobedientiam Ionæ mare turbatum, &
nautas periclitatos, illòque eiecto, mox mare steterit
à feruore suo. Nam sicut ob vnus hominis peccatum
aliquando Dominus multitudinem temporalitèr af-
fligit; ita propter vnus iusti merita frequenter multi
parcit. De hoc plurima habentur exempla. APOLLO-
NIVS: Scio nihil fieri sine iusto Dei iudicio, sed sum-
mæ iudicò esse dementiae, quòd homo sciens se esse
in peccatis mortalibus, periculis se audet committe-
re. CÆSARIVS: Quibus nota est medicina confessio-
nis, nec vna die morari debent in peccatis, neque dif-
ferre confessionem, nisi necessitas excludat confes-
sionem. Audi de hoc Episcopi cuiusdam verbum bo-
num, verbum sanctum, verbum memoria dignissimū.

CAPVT XXII.

*Confes-
sionē non
differen-
dam.*

Sicut didici à quodam Abbate, nuper in Anglia
defunctus est Episcopus ordinis Præmonstra-
tensis, vir bonis & magnæ religionis: hic cum
ageret in extremis, nec confessionem requireret, di-
xerunt ei clerici sui: Domine, debilis estis valde, qua-
re non facitis confessionem vestram? Respondit E-
piscopus; Non faciam. Illis verbum exhortationis
repetentibus, adjecit; Putatis stolidi, quòd vsque ad
hanc horam distulerim confessionem meam? Dixe-
runt ei iterū: Consiliis regis interesse solebatis. Qui-
bus rursum respōdit; Nō aliter fui coram rege, quam
Christus corā Pilato. Hoc quidē dixit & fecit Episco-
pus ille sanctus pro exēplo, sciens scriptū: Ante mor-
tem confitèri, à mortuo quasi nihil confessio perit.
Cōfiteberis viuens, viuus & sanus cōfiteberis, & lau-
dabis

Ecclesi. 17.